


12

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corsio Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

Sedes filiae apud exterbas gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas,  
S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah,  
Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. - Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quo<sup>d</sup> sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-  
loquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine  
percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae  
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulare  
lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latitatis novi flores.** - Si tegu-  
mento solut. lib. 3; si xylinia structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Sin-  
gulare lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus  
pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

**Sociis**

pta venum dantur,

nulae ad latina col-  
lis, *De valetudine***ndium**, Milesiae  
gendas. – Singulaeores. – Si tegu-  
itulō, lib. 4.

lramatae. – Sin-

fabula. – Lib. 1,50.

m erit publici cursus  
aribus).

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

## AD XXVI CONVENTUM EUCHARISTICUM ROMAE AUSPICANDUM.

### DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA UNITATIS ET PACIS PRINCIPIO

Imminent solemnia quibus, in hanc aliam Urbem adventantibus ex toto orbe christianis, conventus eucharisticus, in laudem et gloriam Christi et in hominum concordiam ac felicitatem, celebrabitur. Praecepit autem Benedictus PP. XV, quem universi populi lugent, ut argumentum princeps, in concessibus, collationibus, et concionibus tractandum et evolvendum, foret de Eucharistia pacis principio. De quo pauca hic delibare licet.

Recolatur imprimis pacem summam, quam omnes appetunt, esse *tranquillitatem ordinis*.<sup>1</sup> Nemo est qui non videat quam pulchra et plena et egregia sit illa definitio ab Hipponensi Doctore tradita. Pax non est tranquillitas tantum, eo quod possit interdum haberi tranquillitas apparenſis et fucata, aut coacta, vel prava, sicut

etiam sunt mala mentis gaudia; ne estc ordo tantum, eo quod possit ordo perturbari, violari, sperni; sed pax est simul tranquillitas et ordo, nimurum tranquillitas in ordine, ordoque in tranquillitate, seu melius tranquillitas ordinis.

Iamvero requirit ordo et parium dispartiumque rerum multitudinem, et simul unitatem, ut nempe singulae res in unum coēant et in commune bōnum conspirent. Hanc autem plurium unitatem significat et efficit Eucharistia, quae idcirco est vinculum pacis et animorum concordia.

Quam enim Eucharistia sit sacramentum *charitatis*, est eo ipso sacramentum *unionis*, scilicet unionis fidelium cum Christo et inter se.

Quam mirabilem Christi Domini institutionem efferunt SS. Patres. S. Ignatius Martyr attendit in mysterio eucharistico necessitudinem fidelium cum Christo in Ecclesia;<sup>4</sup> S. Chrysostomus ecclesiasticam unitatem ex Eucharistia repetit, iuxta illud Pauli: «Unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane par-

<sup>1</sup> S. AUGUSTIN. *De Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIII, P. L., XLI, 640.

<sup>4</sup> S. IGNAT., *Ephes.* XX, FUNK, I, 190.

ticipamus»;<sup>1</sup> S. Cyrillus Alexandrinus animadvertisit Christum in Communione eucharistica credentes efficere *concorporales et consanguineos* et secum ipso et inter se.<sup>2</sup>

Hinc nefas odio se prosequi et bello se dilacerare qui divina illa consanguinitate mutuo coniunguntur!

At praesertim S. Augustinus egregiam sacramenti eucharistici rationem mirifice illustrat. Eucharistia, scilicet, est signum illius invisibilis rei, quae est insertio nostra in Christo et in corpore eius mystico. Imaginem quamdam adinvenit in ipsis elementis quae sunt huius sacramenti materia: sicut enim panis et vinum sunt unum ex multis granis vel acinis conflatum, sic ex multis membris efficitur in Ecclesia unum Christi corpus.<sup>3</sup>

Quapropter vocat S. Doctor Eucharistiam sacramentum pietatis. signum unitatis, vinculum charitatis.<sup>4</sup>

Et hinc, quia unio Christi cum christiano communicante est maxima, argueret licet cum eodem Augustino: Christus est unum cum fratribus meis atque pacem ipsis per Eucharistiam praestat. Debeo quoque ego unum esse cum Christo per communionem, secus non habeo in me vitam. Ergo unum pariter sim oportet cum fratribus meis per charitatem et in pace cum ipsis perpetuo remaneam.<sup>5</sup> Sic igitur est Eucharistia signum et causa pacis, concordiae, unitatis et in Ecclesia et in mundo.

Compleat itaque communionem fraternalm, quae deberet inter omnes homines intercedere. Viget quippe in omnibus una eademque natura, quae, licet gradus superadditarum perfectionum suscipiat, invariata quoad substantiam semper et ubi-

que persistit; unusque est finis naturalis, per eadem media consequendus, scilicet per eamdem legem naturalem eiusque «praecepta in omnium cordibus insculpta», ut verbis utar Pii IX in encyclica ad Episcopos Italiae, x mens. Augusti MDCCCLXIN;<sup>1</sup> unus quoque finis supernaturalis, nempe beatitudo divina, ad quam iisdem mediis, nempe gratia sanctificante virtutibusque infusis tendimus; idem omnibus auctor naturae et gratiae, qui vult ab omnibus vocari *Pater*;<sup>2</sup> idem omnium Salvator et Redemptor, qui veluti os ex ossibus, «non confunditur, – testante Paulo, – fratres eos vocare»; idem praeceptum omnibus impedit, quod vocat «praeceptum novum, ut diligatis invicem»; ac demum per eucharisticam mensam fit cum omnibus idem, ita scilicet ut nos cum ipso efficiamur corporales et consanguinei.

Quod optime iam exponebat Leo XIII, in Encyclica ad Episcopos Brasiliæ, die v mens. Maii MDCCCLXXXVIII: «Iam nunc per Adamum novum, qui est Christus, communionem fraternalm et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere: ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturae fines, originem, sic supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei; omnes aequaliter in adoptionem unius Dei ac Patris accitos, quippe quos eodem ipse pretio magno una redemerit, eiusdem corporis membra omnes, omnesque eiusdem participes mensae divinae».<sup>4</sup>

Absolvitur in Eucharistia unitas, quam optabat Christus, ut nempe omnes *unum* sint, et sint *consummati* in unum, sicut divinae personae in Trinitate unum sunt;<sup>5</sup> de qua unitate scribit S. Bernardus: «Inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitatis, in qua tres personae sunt una substantia».<sup>6</sup> Ita multi communicantes fiunt cor unum. Si ergo verbis et desiderio

<sup>1</sup> I Cor., X. 17; S. Chrysost. in h. l. homil. 2; P. G. 4, LXI, 200-201.

<sup>2</sup> S. CYRILL. ALEXANDR., in Ioan., XI, 10; P. G., XIV, 560.

<sup>3</sup> S. AUGUSTIN., Serm., CCLXXII; P. L., XXXVIII, 1247. ss.

<sup>4</sup> Tract. XXVI in Ioan.; P. L., XXXV, 1163.

<sup>5</sup> Cfr. opus nostr. «Tractatus Dogmatici», vol. IV, pag. 180, Paris, Lethielleux.

<sup>1</sup> DENZINGER, 1677.

<sup>2</sup> MATTH., VI, 9, XXII, 9.

<sup>3</sup> Hebr., II, 11.

<sup>4</sup> LEONIS PP. XIII Acta, vol. VIII, 175.

<sup>5</sup> IOAN., XVII, 11-23.

<sup>6</sup> S. BERNARD., De Consid., libr. V c. VIII; P. L., CLXXXII, 799-800.

Christi responderent homines qui eucharistico pane reficiuntur, iam evanescerent bellorum conflictus, fieretque una omnium familia, prout tradit Apostolus: «Ubi non est Gentilis et Iudeus, circumcisio et praeputium, sed omnia et in omnibus Christus». Quocirca conventus ille eucharisticus, qui est iamiam celebrandus, valebit, prae cunctis concessibus et collationibus, quibus nunc supremi populorum moderatores navant operam, promovere et alere concordiam et pacem, eo quod Eucharistia efficiat credentium cor unum et animam unam; et hac virtute poterit tandem in orbe constitui «tranquillitas ordinis».

EDUARDUS HUGON, O. P.

<sup>1</sup> Colos., III, 11.



## DE EUCHARISTIAE SYMBOLIS

APUD VETERES CHRISTIANOS

Non infrequentia Eucharistiae symbola apud veteres Christianos inveniuntur, quae ipsis in epitaphiis, panum praesertim sub specie, repraesentata sunt; additis aliquando piscibus, eoque numero, ut panum et piscium multiplicationem in Evangelio narratam innuant. Ceterum ipse Christus hoc miraculo usus est, ut discipulorum mentes ad Eucharistiae notionem sublimiter eveheret.<sup>1</sup> Origenes autem ita de panum et piscium multiplicatione allegorice loquitur, ut clare demonstret eam Eucharistiae apud Christianos sui temporis probatissimum symbolum exstisset.<sup>2</sup>

In sequenti saeculo, Liberius Papa, quum velum Marcellinae virginis imponeret, de Christo loquens eamdem prodit cogitationem: «Hic est – inquit – qui quinque panibus et duobus piscibus quattuor millia

<sup>1</sup> Cfr. IOANN. VI, 26-27.

<sup>2</sup> Comm. in Matth. I, X, § 25; P. G. XIII, 902 sq.

populi in deserto pavit. Plures potuit, si plures iam tunc qui pascerentur fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit; sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur a caelo»<sup>1</sup> Quia etiam tanta est similitudo inter verba quae Eucharistiae institutionem et ea quae miraculum multiplicationis narrant,<sup>2</sup> ut merito sagacissimus Wilpert sit suspicatus haec illa inspirasse.

Neque praetermittendi sunt quidam Prudentii versus, qui ita de panum multiplicatione loquitur, ut dubium omne de eius eucharistico sensu eximat:

*Ac, ne post hominum pastus calcata perirent,  
Neve relicta lupis, aut vulpis, exiguae  
Muribus in praedam nullo custode iacent:  
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi  
Servarent, gravidis procul ostentata canestris.  
Sed quid ego haec autem titubanti voce retexo,  
Indignus qui sancta canam? Procede sepulcro,  
Lazare ....<sup>3</sup>*

Qui quidem versus maximi ad rem nostram sunt momenti, nam ab auctore symbola sepulcralia contemplanti concinnati videntur; crebro enim in picturis et sculptilibus, Lazari redivivi imago multiplicationem panum aliudve eucharisticum symbolum sequitur.

\*\*

Omnium antiquissima haec Eucharistiae symbola in cryptis Lucinae, apud coemeterium Callisti, iuxta De Rossi, apparent; iuxta vero Wilpert, illa eiusdem aetatis sunt atque pictura quaedam ab ipso inventa in coemeterio Priscillae, quam *Fractionem panis* appellavit, id est primae secundi saeculi partis. Est pictura pisces adumbrans in viridi quadam area iuxta canistra panibus repleta iacentes.

<sup>1</sup> S. AMBROSIUS, De virginitate I. III, c. I; P. L. XVI, 219 sq.

<sup>2</sup> Cfr. MATTH. XIV, 19 et XXVI, 26; MARC. VI, 41, et XIV, 22; LUC. IX, 16 et XXII, 19; WILPERT, *Fractionem panis*, pp. 75-76, not. 4.

<sup>3</sup> PRUDENT., Apoth. vv. 736-743; P. L. LIX, 980 sq.

Maxime autem notandum est in media utraque sporta vas esse vitreum, liquorem rubrum, id est vinum continens.

De tabula, quam *ex fracto pane* Wilipert, ut diximus, nuncupavit, diversae extiterunt auctorum sententiae. Sunt enim qui de agape in ea agi putent, et qui eam caelestis convivii repraesentationem esse dicant, aut hoc simul et eucharisticum convivium indicare; sunt qui eam solummodo eucharisticam figuram existiment, et quidem liturgicam; nec vero desunt qui dumtaxat symbolicam; denique qui partim symbolicam, partim vero res ipsas exhibentem. Pictura haec convivium praesert, ad quod sex convivae discumbunt, quinque viri unaque mulier; sedens vero ante mensam, ad dexteram partem convivarum, septimus quidam vir barbatus panem frangit. Ad mensae latera septem apparent canistra, quattuor in dextra atra in sinistra parte; ante vero convivas super duobus catinis quinque panes duoque pisces sunt appositi; denique iuxta eum qui panem frangit calix adest ansis instructus.

Atqui, ne nimis trahatur noster hic sermo, brevi resumi possunt rationes ex quibus innuatuer quid reapse huiusmodi pictura repraesentet. Non sane convivium funebre, illud scilicet quod ad animas defunctorum iuvandas aut ad martyres honore prosequendos eorumque patrccinium impetrandum celebrabatur; neque convivium caeleste, ut plerisque Lutherani quidam atque acatholici alii scriptores arbitrati sunt; eucharisticum convivium, illudque solum, per eam adumbratur. Etenim neque panis fractio, neque panum pisciumque multiplicationis commemorationis prioribus convenit conviviis; neque pariter unicus ille calix ansis instructus, qui, non secus ac cetera indicia, eucharistiam innuit. Caelestis enim mensa potatione praesertim atque quasi immoderata convivarum laetitia ab eucharistico in pi-

cturis distinguitur convivio; varius insuper in huius mensae repraesentatione numerus est discubentium; mulieres vero nunquam velatae conspicuntur, sicut in pictura nostra; unicus denique plerumque piscis in ea appositus conspicitur.

Panum multiplicatio vices et octies in Romanis coemeteris depicta numeratur, semel tantum in Aegypti Alexandrinis catacumbis; persaepe vero et ubique gentium in sarcophagorum anaglyptis apparet. Eam primum coemeterii S. Callisti parietes produnt, atque ita cum aliis compositam symbolis varioque modo, ut nihil clarius possit in picturarum repraesentationibus inveniri. Namque ibi quemdam symboli processum, seu, ut nunc aiunt, evolutionem quamdam videre est. Primaeva enim symbola, praeter panem et pisces, etiam vinum proferunt, vel saltem consecrationis poculum, mirumque in modum cum eiusdem temporis ritibus consonant. Nec deest quaedam rerum exteriarum adumbratio, ut apud illam *Fractio panis* picturam, in qua praeses revera praesidet, panem frangit et ante se poculum habet ansatum, id est calicem consecrationis. Velata quoque mulieris figura morem illius temporis respicit; nam ex apostolico pracepto mulieres velatae in templo consistere debebant, quum, e contra, nullum esset capiti mulieris discubentis velamen, si de mensa liturgica ageretur. Quod quidem rerum in communitatis Christianae vita tunc existentium indicium etiam in subsequentibus picturis conspicitur; ut tripus, qui formam exhibet altaris, et consecrans sacerdos, qui ad hostiam manus extendit. Cetera vero symbolica prorsus videntur, atque insuper neque vinum neque calix amplius apparent. Denique, non ita ut priores diligenter sunt elaboratae posteriores picturae; quinimo rapidis penicilli signis delineatae videntur. Nihilominus, quatenus cum circumstantibus symbolis coniunguntur, ma-

iores momenti sunt, quia partes cuiusdam evadunt compositionis, quam non certe artifices illi excogitare potuerunt, sed quae a viro quodam theologo illis suggesta et quasi praestituta fuerit.

\*\*

Si vero saeculo p. Chr. secundo Eucharistia per convivii potius figuram adumbrata fuit, a saeculo tertio convivium fere nunquam invenitur; non desunt tamen canistra septem, quibus symbolum consecrationis additum est, Christi nempe effigies, qui panes, virga tangens, multiplicat. Panes autem cruce signati exhibentur, ac nonnunquam Christi monogrammate, de cuius significatione eucharistica dubium non est. Si enim ipsa Christi persona monogrammate significabatur, etiam panis ut Christi corpus accipiens videtur, si eiusmodi sigillo sit instructus; quod quidem ipsa figurae natura certissime suadet.

Alia Eucharistiae repraesentatio est permutatio aquae in vinum; quod miraculum tum refertur, quum piscis in panum multiplicatione effingenda depictus iam non cernitur. Mutatio vero haec, licet quater solummodo in coemeterialibus picturis adinveniatur, tamen nonnisi eodem circiter tempore apparet, quo de ea a Christianis scriptoribus mentio fit. Primam enim huius Christi miraculi figuram in prima saeculi tertii parte depictam reperimus; primus autem auctor, qui de ea veluti de eucharistico loquatur symbolo, Cyprianus est, quem medio saeculo tertio floruisse omnes apprime norunt.<sup>1</sup> Eodem sensu Cyrillus Hierosolymitanus aliquique Patres loquuntur,<sup>2</sup> eamdemque hanc cogitationem liturgia praebet.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> S. CYPRIAN., Ep. LXIII, 12 - P. L. IV, 383.

<sup>2</sup> CYRILL. HIEROSOL., Catech. XXII (*Mystag.* IV) - P. G. XXXIII, 1098. - Cfr. S. AMBROS., De Virginibus, III, 1, P. L. XVI, 219 sq. - S. AUGUSTINUS, Tract. in Ioan. VIII, 1, 3., P. L. XXXV, 1450.

<sup>3</sup> Missale Gothicum, P. L. LXXII, 242. - MURATORI, Liturg. Rom. vet. II, p. 542.

Mirum prorsus videtur quod quater tantum hoc miraculum depictum sit, dum in anaglyptis saeculi quarti quam saepissime redeat, quin etiam inter Eucharistiae symbola tam diu in usu perduraverit, ut saeculo nono, iussu Pontificis Paschalis I, in cuiusdam crucis theca ita evidenter efficta fuerit, ut nihil clarius desiderari possit. Crucem dicimus, quam « gemmatam » vocarunt, estque in thesauro sacelli Palatini, « Sancta Sanctorum » vulgo appellati. Haec authem theca, quae crucis ad instar conflata est, dum in media superiore facie Christum repraesentat Eucharistiae sacramentum instituentem, in brachio laevo praeviam sacramenti figuram exhibit, nempe Christum aquam in vinum, obserante Maria, convertentem.<sup>1</sup>

Symbola eucharistica vitis denique eiusque fructus, tum in epitaphiis, tum in picturis apparent, licet non raro velut simplex ornamentum fortasse vitis palmites depicting fuerint, iuxta vigentem apud ethnicos morem. Utcumque, plura sub vitis uvaeque figura intellecta sunt. Scilicet vitis vera Christus,<sup>2</sup> necnon ipse Christus merces iustorum, eorumque aeternum quo beatunt gaudium. Itaque, sicut de quibusdem calicibus, quorum imagines eucharistiam aequa ac refrigerium possunt, in sepulchris effectae, significare, ita et de vitis palmitibus fructibusque quispiam, nec falso prorsus iudicio, idem affirmare poterit.

X.

<sup>1</sup> Cfr. H. GRISAR, II « Sancta Sanctorum », p. 129 sq., fig. 34.

<sup>2</sup> IOAN. XV, 1, 5.

## URBEVETANUM TEMPLUM

### EUCHARISTICI MYSTERII MONUMENTUM

Urbevetere in urbe princeps est templum tale, ut magnificentia rerum, dispositione partium, unitate aedificii, varietate

artium amice inter se coniurantium in opere, quod caeleste potius quam humatum dixeris, percellat animos, blandiatur oculis, atque admirabili voluptate simul mentem sensusque perfundat.

Unde haec in urbe licet vetustissima, sed nec frequentia civium laudabili, nec principatu, quibus olim Italiae plures civitates claruerunt, in asperrimo collium posita, tophaceis rupibus impendente et quasi minante, ad quem non aptae rotis viae tot marmora e remotissimis regionibus deducabant? Quidquid enim varios per colores terra gignit ex porphyreticis, ex pariis, ex alabastrinis, ex omni denique lapidum genere a silice ad onychem, non anno, non lustro, sed perpetuis ad illud templum saeculis omne confluxit. Idem non aeraria rei publicae, non cesareae opes excitarunt atque moverunt, sed unice pietas populi, quae cumulato asse, collatis laboribus, et regias et imperatorias divitias facile devicit, et invincibili constantiae potentia quos libet principes hoc opere superavit.

Urbevetani scilicet templi huius causa eucharisticum prodigium fuit, cuius fama percrebrescens populorum omnium ora complevit; indeque mora non fuit, quin, propemodum divinus, certe magis quam humanus excitaretur effectus. Prodigium enim non inter parietes tunc fuit, non clam, sed coram sole meridiano, coram omnibus gentibus; nec sermo, nec vox contra ausa est probata tot testibus et explorata improbare.

Quum Urbanus pontifex IV Urbevetanis an. MCCXIII invictis moenibus se tueretur, Bohemus quidam sacerdos, Vulsinii in oppido, sacra ad aram S. Christinae martyris faciens, consecrata vini eucharistica specie, anceps de transubstantiatione sacrificium non absolvebat. Tunc repente in calice fervere, ebullire species et penitus vivum conversae in cruorem, induere spumas, crescere, attingere calicis oras, atque inde super linum, qui « cor-

porale » vulgo dicitur, defluere. Formidare ille, conari manibus summa vasi constrin gere, prohibere ne caderent. Frustra. Superatis manibus per linum, per aram, per ipsos altaris gradus decurrere, mirantibus qui sacro adstabant, horrentibus; horrente ipso presbytero, et altis vocibus inclamante et rogante veniam dubitationis admissae. Haec renuntiantur Urbano, qui iubet ad se corporale deferri ab oppido Vulsinio – non enim longe abest – et sollemni pompa, comitantibus utriusque loci populo populisque finitimis, madens adhuc sanguine Christi lineum suscepit, atque summa religione cathedrali S. Mariae thesaurum credidit asservandum. Quid ultra? Et huius pompe et ad huius recordationem prodigii festum SS. Corporis Christi quotannis diem celebrandum instituit, voluisse magnum et solenne omnibus populis.

Sic quasi devicto triumphasset hoste religio, quippe haereses nonnullae circa eucharistica dogmata germinarant, paeana triumphali cecinithymno, cui virorum tunc temporis eruditissimi et sanctissimi, Thomas Aquinas Angelicus et Bonaventura Seraphicus certatim angelicis seraphicisque rhythmis operam dederunt. At nec viciisse, nec triumphasse, nec paeana cecinisse sat erat. Triumphantum in moribus est monumenta erigere, quae pugnis victoriisque suis consona sint, et vel ea repraesentent quae debellarunt, vel illa ostendant quae triumphis obtinuerunt. Ad hoc est monumentum, Urbevetanum templum quod toto terrarum orbe laudatur.

De quo aedificando Urbevetani cives mirabiliter consenserunt, praesertim quum cathedralis ecclesia vetustate fatisceret, et novo impar miraculo videretur. Arnulpho igitur, vulgo *di Cambio* – quemadmodum plerique fuisse contendunt – architecto usi manibusque industribus ad rem per tria saecula admotis (MCCXC–MDLX) a Cosmatibus, Andrea et Nicolao Pisani, Laurentio

Maitani, Andrea Orcagna, Angelico Fe sulano, Luca Signorelli, Michaële de Verona (vulgo *Sanmicheli*), Simone et Francisco Musca, Hippolyto Scalsa, Raphaële a Montelupone, Caesare de Nebulis, Sangallo, Pomarancio et utroque Zuccari, quidquid marmoreis signis, tessellato et musivo opere, pictisque tabulis udo illitis coloribus magnificentissimum cogitari potest ita perfecerunt, ut intra et extra, quemadmodum caelum illud quod est supra nos, et quod inferius est mare alia semper et eadem perpetua oblectatione admiramus, sic Urbevetanum istud monumentum mirabilibus quotidie novis florere toties perspiciamus quoties aspiciamus, quoties aspeturi redeamus et contemplemur.

Maximis vero, uti par erat, thesauris splendere voluerunt illud sacellum, ubi in pretiosissima theca sacrum prodigii linteolum depositum est. In quo quidem desribendo, ut finem sermoni imponamus, ea referre placet quod in suis *Annalibus Ecclesiasticis* (an. MCCXIV, num. 25 et seq.) scripsit Odoricus Raynaldus: « Haec tamen – sic ille – et alia omnia in Urbevetana civitate conspicua a supernaturali illius sanctissimi corporalis prodigo superantur, quod mihi summa in contemplando felicitas fuit; nam Superioris permisso, nem dum diu illius maculas (in quibus Christi figurae replicatae conspiciuntur in actu *Ecce Homo*, iuxta formam illius saeculi) observaveram, sed etiam mihi licitum fuit quamdam concavitatem introspicere, aperte riendo scilicet quoddam operculum ferreum clavibus firmatum, ubi quaedam telae fragmenta sanguine conspersa et involuta inventa sunt, in quorum medio erant aliquae chartulae litteris gothicis lectu difficultibus, in quarum una erat scriptum: "Corpus Christi sparsum fuit super hoc corporale: cum diligentia debet custodi"; et in alia scriptum erat: "Benda, in qua involuta fuit pars corporis et corporale cum guttis Sanguinis Christi et fi-

guris „ Quae theca erat in armario, in quo miraculosum corporale conservatur et non modica difficultate aperta fuit; nec mediocrem pariter circumstantium admirationem haec reliquiarum inventio attulerat, quarum nulla inter incolas exstabat traditio ».

Ita suo tempore Raynaldus; nunc sacram linteolum, in proprio sacrario, uti diximus, colitur, a cornu evangelii aerae maximae posito, super solio, ad quod aptae scalae ducent, ita ut per vitrum reliquiam tegens cuique pateat eam apprime cognoscere atque etiam deosculari.

FORFEX.

## DE SOLLEMNI PONTIFICA POMPA QUAE IN FESTO SS. CORPORIS DOMINI ROMAE AD VATICANUM DUCEBATUR

Ab ipsa festi SS. Corporis Iesu institutione, quae per Urbanum IV Pontificem facta est anno MCCXIV, publice Sacramentum circumlatum fuisse sive ex traditione sive ex documentis coniicitur; quin imo praeter clerum, vel ipsi publici magistratus, et reges, et imperatores, maiore quo licet ornatu per plateas et fora illud prosequi honorificen issimum sibi duxerunt. Cuius pietatis officii splendor decusque procedentibus annis mirum in modum accredit. Tunc enim consuetudo obtinuit, ut in urbe quaque vel oppido cives incolaeque vias omnes, qua sacrosancta Hostia deferenda esset, textilibus velisque discoloribus, floribus etiam frondibusque certatim ornarent, protegerent; ipsi autem frequentes, faces plerique accensas gestantes canticosque editis sollemnem pompam comitarentur. Ergo si in locis quae Roma longe etiam distant tanto pietatis exemplo festus hic dies habitus est, potiore sane

iure Pontifices Maximi Romae haberi voluerunt.

Quamquam non uno eodemque loco, nec una eademque ratione huiusmodi pompa sese habuit; verum denique ad Vaticanum constituta est. Hanc itaque revoicare his diebus opportunum nobis visum est, eius descriptionem a Cancellerio de promentes, vel potius a viro clarissimo Iulio Barlutio, qui de re opusculum italicice, gallice atque latine diligentissime exaravit.<sup>4</sup>

\*\*

Iamque in initio festi, a vespero praecedentis diei ducto, magna confluentis populi multitudo Vaticanum adibat festum apparatum invisura; peristyla enim Vaticanani fori aulaeis hinc inde intercludebant ad ventos solisque radios prohibendos. Peristyla autem protrahebantur et in unum concludebantur signis erectis, buxeae fronde convestitis, quae velum album duplex sustinebant, contiguauim aediuim parietibus appensum; nec parietes solum, sed et ipsarum aedium fenestrae sericis conchyliatisque peristromatis ornabantur. Inter arcus picta stemmata dependebant Cardinalium, quorum erat proprio aere viae tractum decorare; floreaque serta et coronae identidem demissae speciem elegantiamque adiungebant. Cryptoporticu pulcherimis utrinque obtegebatur aulaeis, ad eorum exemplum, quae ex aureis et sericis filis in Belgio intexta, iussu Leonis Pp. X, imagines a Raphaële Urbinate crassa charta depictas ad amussim referebant, quaeque olim iisdem ambulacris illustri erant ornamento.

Quum autem festus illucesceret dies, non Purpurati solum Patres, sed et cano-

nicorum ordines, et religiosae familiae, et pontifícia adolescentium collegia, et summi magistratus ad Vaticanum conveniebant pompa interfuturi. Dum omnia parantur, militum centuriae instructae nobili ornatum integri peristylii, tum cryptoporticu praeedium constituebant, aciemque opponebant populo confertissimo, prae nimia visendi cupiditate undique affluent. Tunc temporis Patres Cardinales cum sacris vestimentis sui cuiusque ordinis propriis Xystinum sacellum ingrediebantur, ubi summus Pontifex, consueta adhibita præparatione, sacrificalibus assumptis vestibus, rem divinam, haud tamen sollemini actu, faciebat, Episcopo qui a Sacris est domus pontificalis<sup>1</sup> intimisque item a Sacris domus eiusdem ministrantibus<sup>2</sup> ac duodecim viris s. Consilii litibus iudicandis<sup>3</sup> ad postremum aerae gradum oppositis in genua adstantibus. Immaculata dum offertur Hostia animos omnium suspensos tenebat mirus concentus, quo decantabatur versiculus: *Fratres ego; ea autem in sublime elata, abrumpebat silentium alterius versiculi cantus: O salutaris Hostia.*<sup>4</sup>

Sacrificio perfecto, Pontifex in sacramentum redibat, sacerdotalem vestem deponebat, ac sollemini penula indutus sacramentum iterum petebat; flexis genibus Eucharisticam Hostiam in pretioso repositorio collocatam venerabatur, eique thura offerbat. Postea se conferebat ad hexaphorum,<sup>5</sup> quo super ponebatur Sacramentum

<sup>1</sup> Vulgo: *Monsignor Sacrista.*

<sup>2</sup> Italice: *Cappellani segreti di Sua Santità.*

<sup>3</sup> Vulgo: *Sacrae Romanae Rotae Auditores.*

<sup>4</sup> Eum expiebant cantores octo, qui deinde Pontificem in pompa prosequerantur.

<sup>5</sup> Huiusmodi machinamenti – quod ab Alexandro VII P. M. initium duxisse vulgo creditur – forma pluteum exhibit precationi aptum, lignea sculptura inaurata splendide ornatum, scanno inferius, pulvini serico tenui auro intecto desuper adoperatum, cui Pontificis brachia incumbunt. In medio autem pulvini orbiculatum e crystallo, radiatumque, ex auro

augustum a Cardinali primo diacono, qui illud ex altari deferebat sub umbella ab altero ex acolythis Sacrarii pontificalis domus suffulta. Statim ex ordine disponebantur eorum classes, qui Pontificis vestigiis insistere debebant; nam antequam instituta pompa progrederetur, ob oculos Protodiaconi Cardinalis, qui serulam manu gestans, assidebat ad cryptoporticu fores, ubi aderat præedium Helveticae cohortis, inspectantibus item Urbis Praefecto ac pontificiae domus Praeposito, iter bini aggrediebant universi ordines, qui ex notula edita et a Pontifice Maximo recognita, per vices appellabantur a Viatore<sup>1</sup> Sacrae Curiae viri eminentissimi vicaria Pontificis Maximi potestate in Urbe fungentis, rem totam moderante Antistite caeremoniarum pontificalium.<sup>2</sup> Eorum unusquisque cereum deferebat accensum, ac per omnis itineris tractum vel legebant, vel preces concinebant, quae typis impressae singulis tunc diribebantur, praeter quam quod eorum quilibet suos habebant cantores alterne psallentes.

Delectorum militum manipulus, tympanotribis præeuntibus, ecce viam pandit: duo militum procedentium ordines utrumque latus tuentur, quorum incessum statumque moderantur cum Viatores sacrae Curiae, quos supra nominavimus, ac Viatores Pontificii, togula violacea induti et scipionibus subnixi, tum Antistites caeremoniarum pontif, qui talarem vestem lanearum rubri coloris exsilisque texturae et lineum amiculum deserunt, praeter prium et alterum, qui talari ueste serica violacea, fascia cum villis ornata, lineoque

amiculo, alii superinicto manicato,<sup>3</sup> vestiuntur.

Primi omnium, post elatam crucem, procedunt alumni hospitii apostolici S. Michaëlis ad Tiberis ripam atrati, ueste lanea exsilis texturae modo induti, fascia concolore ad lumbos præcincti. Post eos graduntur alumni orphanotrophii S. Mariae in Aquiro, suo præposito vexillo, albati, cum epitogio et lineo amiculo; deinde Sodalium Religiosorum ordinum cleris; singuli suo quisque sub labaro.

Proximi eunt Monachorum Ordines, deinde adolescentes clericis romani Seminarii alumni; quattuor supra quinquaginta Rectores curiarum Urbis, linteo amictu et alba stola spectabiles; Collegialum templorum Canonici et Beneficiarii; qui quidem omnes, licet uno eodemque sub Crucis vexillo incedant, singuli tamen propriis utuntur ornamentis, ideoque alii almutia,<sup>4</sup> alii linteo tantum amiculo conspicuntur. Quaestor romani cleri<sup>5</sup> eos comitatur, quem sequuntur minorum basilicarum Collegia ac deinde basilicarum Patriarchalium, Liberianae, Vaticanæ, Lateranensis. Vaticanum vero collegium ad pronaon progressum inibi consistit divinum Sacramentum excepturum, atque idcirco pompa prope Pontificem consequitur.

Quodlibet ex hisce canonicorum collegiis suum habet insigne, suumque Vicarium, qui Antistes est Domus Pontificis Maximi<sup>6</sup> vio'cea ueste indutus, itemque accensos, qui rubris scipionibus panno serico rubro et villoso obtectis, cuspide ex aere inaurato, subnixi, tamquam designatores præeunt. Sed praeter tot alia spectantium oculos in se convertunt tentoria,<sup>7</sup> quae textilibus rubri flavique coloris al-

<sup>1</sup> Vulgo: *Rocchettum.*

<sup>2</sup> Italice: *Mozzetta.*

<sup>3</sup> Italice: *Camerlengo del Clero.*

<sup>4</sup> Italice: *Prelato domestico.*

<sup>5</sup> Vulgo: *Baldachinum, Umbella.*

<sup>1</sup> De sollemni Pontificia Pompa, quae in festo Sacrosanti Corporis D. N. Iesu Romae ad Vaticanum ducitur, commentarius. – Romae, ex typographeo Perego-Salvionario, an. 1837.

terne intexta (a quo fortasse *papilionis* nomen) una cum tintinnabulis ante Crucem eorumdem collegiorum deferuntur, ac *sinnichia*, seu *zinnichia* appellantur.<sup>1</sup>

Sequebatur Antistes suffectus Cardinali vice sacra in Urbe fungenti<sup>2</sup> una cum Cognitoribus et Administris sacrae eiusdem Curiae.

Magnus deinceps apparebat eorum numerus, quibus ius est in Sacrarium pontificiae domus conveniendi, nempe: Cubiculari ornamentarii et intimi ab ense et clamyde;<sup>3</sup> Stratores decuriales;<sup>4</sup> Patroni decuriales sacri palatii;<sup>5</sup> Magister pietatis familiae pontificiae domus cum Oratore apostolico; Propraefecti plurium religiosorum ordinum; Decuriales et intimi a Sacris domus pont. aliquae intimi a Sacris; Advocatus fisci cum Praeposito negotiis mensae publicae Pont. Max.;<sup>6</sup> Advocati S. Consistorii; Cubicularii honorarii et intimi;<sup>7</sup> Cantores pontificii talari sua veste serica violacea et zona ad extrema capita villa distincta linteoque amiculo. Post hos veniebant Antistites adlecti in Collegium Breviatorum ordinis primi;<sup>8</sup> Antistites adlecti in Consilium Principis ad caussas rerum iudicatarum dirimendas;<sup>9</sup> Duodecim viri Urbi curandae;<sup>10</sup> Duodecim viri

s. Consilii litibus iudicandis quos inter Praefectus sive Magister sacri palatii, e sacra Dominici patris familia. Deinde intimi a Sacris triregnum gestantes infusalesque pretiosas, quibus Pontifex Maximus utitur.

A subdiacono - qui iunior est e XII viris s. Consilii lit. iud. - dalmatica induit, Crux elata defertur, septem inter candelabra a totidem acolythis, qui sunt Antistites e Consilio principis ad caussas rerum iudicatarum dirimendas, deportata.

Apud subdiaconum incedunt duo Magistri Ostiarii a virga rubra;<sup>1</sup> et Praefecti admissis poenitentium expiandis<sup>2</sup> alba sacerdotali veste amicti, quos ante eunt adolescentes duo veste nigri coloris et linteo amiculo, florum fasciculum gerentes, e quo virga attollitur oblonga, conscientiae imperii argumentum.

Sequuntur Abbates infulati atque cum iis Archimandrita Messanensis et summus Magister Collegii S. Spiritus; Episcopi, Archiepiscopi et quattuor maiores Patriarchae cum insula et sollemni penula, praeter Episcopum Graecum, Armenum et Syrum aliasque Patriarchas orientales, qui proprii ritus splendidis vestibus singuli ornantur. Deinde Cardinales Diaconi dalmatica, Cardinales Presbyteri sacerdotali veste, Cardinales Episcopi pontificali amictu spectabiles; infulati omnes, quisque cum suo accenso, qui a syrmate<sup>3</sup> appellatur. Ab extremo autem latere cuiusque Cardinalis, qui statos legit psalmos hymnosque, aliquantulum procedunt eorum Cubicularii et Famuli nobiles ceream faciem accensam duodecim librarum pondi gestantes: iuxta eos Magistri admissio-

<sup>1</sup> Lateranensis basilicae collegio privilegium inest duplex hoc ornamentum habendi. Tintinnabula autem identidem et ad ictum pulsantur interea dum pompa procedit vel ad monendum plebem ut Crucem veneretur, vel ad summovendam a procedentibus turbam.

<sup>2</sup> Italice: *Vicegerente di Roma*.

<sup>3</sup> Italice: *Camerieri d'onore e segreti di spada e cappa*.

<sup>4</sup> Vulgo: *Scutiferi*; Italice: *Palafrenieri*.

<sup>5</sup> Italice: *Procuratori di collegio*.

<sup>6</sup> Vulgo: *Commissarius Rev. Camerae Apostolicae*.

<sup>7</sup> Italice: *Camerieri d'onore e segreti*.

<sup>8</sup> Vulgo: *Abbreviatorum de parco maiori, sive Assistentes S. R. E. Vicecancellario*.

<sup>9</sup> Italice: *Votanti di Segnatura*.

<sup>10</sup> Italice: *Chierici di Camera*.

num,<sup>1</sup> praecipuum Cardinalium insigne, *biretum* scilicet, ut appellant, purpureum manu sustinentes; mox Decanus famulorum pallio serico nigro, cuius est manu tenere magnum petasum rubrum quem pastorale vocant, quo uti solummodo licet in sollemnibus pompis. Universus denique sacer Senatus protegitur a Praetorianis helvetiis,<sup>2</sup> lorica et galea ferrea hastaque armatis, et a Militibus capitoliniis, plumatili pileo, qui pontificium etiam comitatum tuentur.

En tres viri rei publicae curandae,<sup>3</sup> et Praefectus Urbis<sup>4</sup> a dextera Stotoris proximi a solio<sup>5</sup> et Pontifex Maximus, qui detecto capite divinam gerit Hostiam, qua supra exposuimus ratione, Cardinalibus Diaconis duobus latera tegentibus, sub intenti tentorio auratisque textilibus insigni. Eius hastae a sacelli foribus usque ad secundam stationem scalarum regalium fulciuntur ab iis qui a Relationibus sunt iudiciorum recognoscendorum et veniae principis impetrandaes;<sup>6</sup> hinc ad portam in cryptoporticus exitu ab alumnis collegii Germanici; ad medium peristylium dextrum ab alumnis ephebei Urbaniani;<sup>7</sup> exinde ad peristylii exitum ab alumnis Angelici collegii; ad medium peristylium, opportune, uti diximus, erectum, ab octo Presbyteris pallio serico nigro obtectis; proinde a Vicorum Magistris. Post hosce succedebant Praepositi piis Florentinorum institutis in Urbe, equestri habitu, quorum erat hastas ipsas sustinere per totum sinistrum peristylium; ex hac porticu ad prona aditum a Praepositis Senensium, equestribus pariter vestibus; hinc ad medium

basilikam ab alumnis ephebei Nobilium sacris additorum;<sup>1</sup> postremo ad aram usque a tribus Viris rei publicae curandae et a Iudicibus curiae capitolinae togatis, quibus accedebat etiam Senator Urbis, toga panni aurei amictus.

Circa Pontificem Maximum procedebant cum quatuor argenteis laternis amplae molis totidem Statores decuriales, et Intimi a Cubiculo fulientes flabella duo plumea, alba. Eucharistiae vero Sacramento praecedunt Antistites bini ex adiectis in consilium ad caussas rerum iudicatarum dirimend: s thuribula gestantes, totidemque acolythi sacrarii pontificii cum cymbiis, ac caeremoniarum Pontificalium Antistites duo, qui praesto Pontifici adsunt.

Utrique tentori lateri duodecim adstebant Statores decuriales cum cerea face. Conspicienda se postea offerebant infulæ pontificiae in communi usu positae, quas Senior e XII Viris s. Consilii litibus iudicandis,<sup>2</sup> lineo amiculo alioque manicato indutus, gestabat duos inter Cubicularios intimos.

Succedebat Archiater Pontificis Maximi, qui tunc talari veste utebatur serica violacea, fascia concolore et epitogio laneo coccineo cum cucullo panno serico subuso; cui exterior comes erat Primus adiutor a cubiculo Pont. Max.. pari epitogio, sed breviore.

Sequebantur Cantores alii Pontificii; Antistes Maximus Curiae Innocentianae,<sup>3</sup> Praefectus aerarii, Stabuli,<sup>4</sup> Tabellarium;<sup>5</sup> Sacrae Pontificiae domus Praepositus et Magister ab admissionibus;<sup>6</sup> Pro-

<sup>1</sup> Italice: *Accademia dei Nobili Ecclesiastici*.

<sup>2</sup> Vulgo: *Sacrae Romanae Rotae Decanus*.

<sup>3</sup> Vulgo: *Auditor generalis rev. Camerae Apostolicae*,

<sup>4</sup> Italice: *Cavallerizzo Maggiore*.

<sup>5</sup> Italice: *Soprintendente generale delle Poste*.


<sup>6</sup> Italice: *Maggior domo e Maestro di Camera di Sua Santità*.

tonotarii Apostolici sive e numero Beneficiariorum<sup>1</sup> sive Exsortium; <sup>2</sup> Summi Sacrarum familiarum moderatores; Antistites a relationibus iudiciorum recognoscendorum et veniae Principis impetranda; Accensi postremo pontificii, gladio cincti et clavam argenteam supra dextrum humerum afferentes.<sup>3</sup> Ingens istud ordinum agmen claudebant Nobiles protectores sacri lateris Pontificis Maximi,<sup>4</sup> quibus praebant bini duces et Vexillarius S. Romanae Ecclesiae magnifico militari ornatus; supremus copiarum Imperator inter tribunos duos; praeterea ceteri copiarum Praefecti; ala Equitum a publica securitate;<sup>5</sup> ala Dimacharum cum suis propriis vexillis; deinde cohortes omnes peditum, nempe Urbani Milites singulares,<sup>6</sup> Milites a publica securitate, Milites tum gravis, tum levis armaturae; qui quidem omnes antea ad viae praesidium dispositi, ut confertissimas cohiberent spectantium turbas, paullatim colligebantur pompam ipsam sequuturi. Esingulis cohortibus delecti tibicinum manipuli suvi concentu aures mulcebant, quem tympanorum frigor identidem excipiebat; tum tormentorum bellicorum tonitru ab arce S. Angeli auditur frequens, aeraque campanariae turris Vaticanae basilicae pulsata reboant.

Hic itaque erat cultus et ritus magnificus, quo in Vaticano, quoad tempora concesserunt, sollemnia Corporis Domini peragebantur, idemque sacrosanctum Corpus publice circumferebatur. Renovata haec pompa nostris diebus est, - quamquam inter Vaticani claustra absque interventu copiarum et civilium magistratum, - anno MCMV, quando Pius Pp. X cum ea Conventum Eucharisticum, Romae tunc

habitum conclusit. Eamdem ne in celebrazione alterius conventus, qui proxime in Urbe congregabitur, iterum, ut est in omnium votis, videbimus?

I. F.



## AD CIVES

UT

### AD COETUM EUCHARISTICUM CONVENIANT

*Festum per urbis compita transitum*

*Iesu sacrata conditi in hostia*

*efferte laudibus, triumphi*

*iure diem celebrate, cives;*

*hosanna David dicite Filio,*

*hosanna pacis dicite Principi,*

*ramos ferentes huc olivae,*

*ut pueri Solymam per urbem;*

*lychnos paratos ordine ponite,*

*gestate dextris cerea lumina,*

*Iesum sequentes hic ovantem*

*Christiadum comitante turba;*

*canora, cives, agmina ducite,*

*campana duris tundite malleis*

*vos aera templorum sacra,*

*ut sonitu huc populum reducant;*

*solemne tempus sculpite marmore,*

*perenne signum tradite posteris,*

*accepta amato Iesu ut omnes*

*tot referant benefacta gentes.*

Neapoli.

IOSUE CACACE.

<sup>1</sup> Vulgo: *Participantium.*

<sup>2</sup> Scilicet *honoris causa.*

<sup>3</sup> Inde iis Italicum nomen *Mazzieri.*

<sup>4</sup> Italice: *Guardia nobile di S. S.*

<sup>5</sup> Italice: *Gendarmi.*

<sup>6</sup> Italice: *Guardia civica scelta.*

*Officiis scientiae anteponenda sunt officia iustitiae. Considerate enim agere plus est, quam considerare prudenter.*

CICERO, *De off.*, 2.

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

*Iacobus Tasset Iosepho Fornari et Andreæ Haberl salutem dico.*

Sermonem fuisse latinum autumant, esse nunc populi defuncti monumentum; palaestram quoque in qua iuvenes cum antiquatis liceat armis et obsoletis exerceri. Nos contra: sermo latinus est etiam nunc sermo. Nam Sequanus ego, et tu, Andrea, Saravinus, et tu, Iosephe, Tiberinus, christiani sumus Romani tres, multorum centenorum millium similes, quos educat Lupa, et Agnus sanctificat. Sacra romana colimus, iura, mores, litteras et artes. *Oramus pro Pontifice nostro Pio ultra citraque Oceanum permulti. Vivit ergo romanus Christi fidelium populus, qui iam nunc diu noctuque latine loquitur, canit, meditatur, linguis et animis movetur, temperatur.*

Porro cur latine cogitamus et meditamur? Quia si gentibus ac temporibus singulis propria, proprio gentis ipsius et aevi sermone, ita, quae generis hominum universi, et aeterna, sermone sunt latino dicenda.

Sed quia, pari verborum memoria, plura multo sunt orbi, latine, quam gentili quilibet sermone, suis in partibus, enuncianda, et quoniam fictum « vitandum est tamquam scopulus novum et insolens verbum », ideo vocabulorum inops, at sententiis exuberans, translatione plurima et duplicatione utitur lingua latina. Duplicatis, sicuti sunt: *acus magnetica vel nautica pixys, pulvis nitratus, mola venti, orbita ferrea, currus pedestris, carbo fossilis, acu pingere, typis describere, in ferro vehere, luce signare, aethere loqui aut significationem facere, motas species, et mota spectare.* Translatio, ut si narret aliquis: *operum desertiones aut exclusiones; delira et collisa in viis ferreis ag-*

*mina; et a domibus ad homines tegendos adversus imbre, quia solem magis umbella decet, in hunc modum transferat: pluvia euntes obtendunt patulum imbricem.*

Quae vos optime plebem universam docetis, lectissimi magistri. Valete.

Dabam d. xxvii m. Aprilis, Turnoduro.

*Felix Ramorino, doctor latinis litteris tradendis in athenaeo Florentino, Sociis omnibus ALMAE ROMAE humanissimis salutem.*

Iamdudum omnibus iis, qui Christiano quodam sensu miseram nostrorum temporum conditionem considerare aggressi sunt, nec potuerunt quin tantam errorum pestem animos vel infimae plebis invadentem in diesque gliscentem notarent atque deplorarent, persuasissimum esse coepit, nullam futuram esse rebus humanis salutem, nisi sana illa et vere divina doctrina instauretur, quae, Iesu Christo auctore et auspice, per Catholicam Romanam Ecclesiam aucta et propagata, tam egregios iam fructus superioribus saeculis dedit, tantumque valuit ad veterum errores fugandos moresque hominum corrindos.

Hac persuasione ducti multi viri Catholicae disciplinae sectatores, qui vel in scholis primi ordinis vel in iis quae mediae dicuntur, vel denique in Athenaeis docendi munere funguntur, in sodalicium coire constituerunt, ut viribus unitis Christi doctrinae propagandae et adolescentium animis religione nostra effingendis operam navarent, simulque futurorum docentium stirpem excitarent, qui idem opus in posterum continuare valerent. Sic orta est quae litteris singularibus designatur S. C. U. D. O. S. hoc est « Sodalitas Catholicorum Universi Orbis Docentium » cui titulus « Omnes Sancti » (Italice: So-

cietà Internazionale degli Insegnanti Cattolici « Ognissanti »), quae Florentiae in Italia sedem et domicilium habet.

Horum sodalium mens et consilium est omni ope contendere ut adolescentes studiosi, dum variis disciplinis litterisque dant operam, Christi doctrina ab ineunte aetate imbuantur, neque eam unquam perdiscere et excolere intermittant, ita ut in succum et sanguinem convertant, ad eamque totam vitam informare conentur. Huc spectabunt ephemerides, huc praelectiones, colloquia, conventus passim indiciendi et instituendi; unde in lucem paulatim prodibit, quanto praestans sit catholica doctrina, in qua unice humanae salutis spes sit ponenda.

Ad idem propositum spectabit aliud quoddam maioris momenti Institutum quod in omnium gentium utilitatem, omnium viribus opibusque collatis, creandum cogitamus. Nam ut tribus abhinc annis Bruxellis apud Belgas Schola quaedam superioris ordinis puellis instituendis (*École supérieure de jeunes filles*) sub patrocinio Lovaniensis Catholicae Universitatis constituta est, quae schola fructus iam dedit haud paenitendos, ut nuper Mediolani Universitas studiorum Catholica ad exemplar eiusdem Lovaniensis et Parisiensis cum omnium plausu portas suas aperuit, ita consilium est nobis, si Deus O. M. adiuvabit, Florentiae, in hac quae iure flos civitatum dicta est, sedesque semper ingenuarum artium est habita, Athenaeum quoddam creare et informare puellis omnium gentium instituendis, ubi congrua doctrina instructae, vel de magisterio docendi vel de liberali quodam artificio exercendo vel de adsistendo aegrotis, utilem utcumque artem discant, sibi civibusque suis quandoque profuturam. Ut par est, humanae rationis disciplinae in Athenaeo nostro ita tradentur ut nunquam a doctrina Christi, qualem Romana Ecclesia profitetur, desciscant. Erit igitur Ath-

naeum Catholicum puellis omnium gentium instituendis.

Non ignoramus quidem huiusmodi propositum multis gravibusque difficultatibus obnoxium esse; sed speramus fore ut, Deo iuvante, omnibusque bonis opem ferentibus, ad id quod in votis est quandoque perveniamus.

Itaque a vobis omnibus quotquot humannissimi commentarii istius socii estis, petitum ut auctoritate vestra propositis nostris suffragari dignemini. Quidquid a vobis admonitionis et consilii de tanta re ad nos veniet, omnia grato animo accipiemus. Valete.

Datum Florentiae vi kal. Maias MCMXXII.



## CONSILIO NATIONUM

### PRO PACE GENUA IN URBE COLLECTO

*Qui Genuae pro pace, Viri, considitis una Gentibus e variis nobile concilium,*

*Mentibus o Summi Pastoris figite dicta,  
Vinciat ut populos foedus amicitiae.*

*Credite, ut ipse monet, mucronum haud  
[silva ligabit,*

*Ast alterna valet nectere corda fides.*

*Componet tantum longa haec certamina et  
[iras,*

*Nulla via, hac spreta, tuta quietis erit.  
Vestraque iura simul pacis moderemini*

*[ad aram,*

*Fraterno gentes stringi ut amore queant:*

*Victi et victores, placidum sic iungite foe-  
[dus,*

*Magni vos Patris voce ciente Pii!...*

Laureti in Piceno, mense Aprili a MCMXXII.

JOANNES FRATINI.

## PRO JUNIORIBUS<sup>1</sup>

### De primo bello Punico, quod gestum est ab anno CCLXIV ad annum CCXLI a. C. n.

#### a) Quae belli fuerit causa.

Ante hoc bellum inter Romanos et Carthaginenses non modo pacem, verum etiam amicitiam fuisse vel ex eo apparebat, quod anno CCCXLVIII mercatura foedus fecerant et quod communibus rationibus coniuncti bellum cum Pyrrho rege gesserant. Neque tamen fieri poterat, quin Romani, qui tota Italia pacata etiam Siciliam obtinere cuperent, quippe quae natura ad Italiam pertineret, cum Carthaginensibus, qui tum maiorem insulae partem tenebant, congrederentur. Brevi Romanis in Sicilia oblata est contentio occasio.

Milites enim mercenarii, Campani, quum post mortem Agathoclis, Syracusanorum tyranni, cui servierant, dimissi essent, domum revertentes urbem Messanam ceperunt. Hanc illi quasi rempublicam latronum fecere; rempublicam Mamertinorum, hoc est filiorum Martis, nominabant. Hiero autem, qui ex anno CCLXXV Syracusanorum tyrannus erat, Mamertinos adoritur. Horum alii ab Romanis, alii a Carthaginensibus petunt auxilium. Romanis petitioni morem gerentes non solum bellum suscepserunt cum Carthaginensibus, quorum tangebant imperium, verum etiam provincias extra Italiam comparare coeperunt.

#### b) Quae utriusque nationis fuerint copiae.

Inter Romanorum et Carthaginensium opes hoc maxime interfuerunt, quod Carthaginenses plurimum valebant re navalium.

Romani plurimum terra, nihil fere mari. Sed Romanis, ut tum erat navium aedificatio, cum praesertim ex inferioris Italiae urbibus homines venirent rerum maritimarum peritissimi, facile erat, ut Themistocle auctore Atheniensibus, brevi tempore classem ornare.

Deinde Carthaginensium exercitus, quod omnis fere mercenarius erat, inferior erat exercitu Romanorum, apud quos et cives et socii militabant. Contra, Carthaginensium imperatores, qui quidem spectata erant virtute, imperia tenebant perpetua, quum imperiis Romanorum annuis minus faveretur imperatoria virtus.

Tum Romani prudentia atque consilio plurimas sibi firma amicitia conciliaverant reliquarum Italiae gentium et populorum, quum Carthaginensium opes in terra eaurundem gentium niterentur obedientia, quas severa pressas tenerent servitute.

Rursus, Carthaginenses longe superabant Romanos re aeraria, quam illi sibi magna mercatura comparaverant.

(Continuabitur).

A. HABERL.



## ANNALES

### Genuensis conventus.

Genuensis conventus iam diu exspectissimus, quippe qui post teterimum illud bellum tum victorum populorum tum eorum qui victi sunt legati primum coire simul videret, die x mens. Aprilis MCMXXII est demum congregatus. In aditali sessione Archiepiscopus ipse Genuensis intervenit, ad quem superiore die Pius PP. XI litteras miserat omina praedecessoris sui iterantes, ut tandem aliquando in animorum concordia et bona voluntate vera et tranquilla pax universo orbi redderetur. Facta, supremus Italorum administer, qui conventus praeses electus est, de oecono-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

micis praesertim quaestionibus et commerciis ubique omnino restituendis disseruit, et post eum legati praecipuarum nationum, quae triginta et ultra numero interfuerunt, salutationes suas alias post alium addidere. Quum vero ad Russos ventum est, et Cicerin ille declarasset necessariam pacis conditionem in armis depontendis, scilicet in exercitibus demittendis esse, acriter Gallorum legatus Barthou est protestatus, hanc rem in medium non esse illuc ex pacto offerendam. Vix dissensio haec composita est, altera paucos post dies necopinato assurgit: nunciatur enim Germania cum Russico gubernio foedus ferisse post politicas oeconomicasque res inter unum et alterum populum compositas, nempe recognito a Germania Sovietorum, prout vulgo dicitur, gubernio, et damnorum indemnitate renuntiata. En Gallorum iterum, neque eorum tantum, fortissima oppositio, per quam irriti omnino Genuensis conventus fructus, et ipso die in quo Italorum rex Genuam honoris causa hospites visitat, iam videntur. Discri men vero, Italorum et Anglorum praesertim opera, ea ratione componitur, ut Germani a tractatione Russici problematis, quod nuncupatur, arceantur. Qui quidem non id aegre patiuntur, declarantes sibi reapse in hac re locum non futurum, soluta scilicet ex sua parte cum Russis dissensione quavis.

Nunc igitur de novo Russorum regimine a ceteris nationibus disputatio agitatur, eaque maiore vi, quanto magis renuunt Russi, quominus conditions ipsis propositae ad novum regnum suum recognoscendum acceptent.

In hisce discriminibus rursus Supremi Patris et Pastoris vox auditur in epistola ad Eminentissimum Virum qui est a Secretis Status missa, in qua non solumhortationes ad pacem renovantur per similitudinem hinc inde aliquam remissionem, sed pericula ostenduntur aemulationum, odiorum et invidiae tam diu protractae.

Faxit Deus ut verba Sanctissimi Christi Vicarii, pro suo cuiusque debito, rite ab omnibus audiantur!

## In Hibernia.

Dum pax inter Ulster regionem et Hiberniam composita sollemniter declaratur, nuncii alii ferunt ob seditiones ortas, easque a factionibus et militari, et rei publicae faveant, et evertendarum rerum cupidorum excitatas, civile bellum in infelici illa insula exardescere.

## Illustria funera.

Funchal, in oppido Maderae insulae, ad quam extorris patria cum suis deportatus fuerat, brevi morbo fractus, superioribus Kalendis Aprilibus diem obiit supremus Carolus ex Absburgensi domo; infelix ille Austriae quondam imperator et Hungariae rex, qui in thronum prope iniectus dum imperii sui sidera occidunt, et pacem cum hostibus componere, ac deinde regnum suum restituere frustra conatus fuerat. Natus erat d. xviii mens. Augusti MDCCCLXXXVII, et Francisco Iosepho, avi fratri, vita functo, quippe maxime propinquus, die xxi mens. Novemb. MCMXVI successit. Uxorem et liberos summa in egestate reliquit!

Parisiis autem die xxviii eiusdem mensis Aprilis eodem fato concessit Paulus Deschanel, qui, in Belgica ortus, ad fastigia Gallicae civitatis pervenit, a quibus valetudinis causa paullo post abdicavit.

Kalendis Maiis MCMXXII.

POPULICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Fateor libenter me usque ad superiores postremos dies, quum manus ad scribendum admoverem, cogitasse nunquam de scribendi instrumentis tum antiquis tum recentioribus. Et quia puto neminem vestrum qui legitis, aut paucos, iisdem cognitionibus captos antea fuisse, dicam hodie in primis, quae de re in diario quodam nuper legi.

Scripturae igitur origo a remotissimis temporibus repetenda est, et cum calamo, aut proprius cum iunci marini frusto consociatur, quod aculeato ferro et pumice veteres illi exacuebant. In Indis etiam nunc baculis ex arundine, cui bambu vulgo nomen, scribunt; Persae autem ac Turcae stipulis utuntur, in ripis Persici sinus collectis, quas sub quodam fimo per menses sex recondunt, donec nigrum omnino colorem assumpserint. Sinae, ut quondam classici qui dicuntur populi, penicilli genus quoddam adhibent.

Anserinae pennae notitia prima in Theodorici, Ostrogothorum regis, historia invenitur. Traditum nempe in ea est illum regem, quem sese subscriberet, anseris pennam intra quattuor sui nominis initiales litteras ducere, in lamina aurea perforatas.

Atramentum prisca aetate ex carbone et pini medulla constabat, in pulverem reductis atque in gummosa aqua solutis; et Graeci, qui sibi pleraque inventa tribuerunt, fidem faciebant Palignotum quemdam, famosum pictorem, primum ex musto, hoc est ex vini faece, atramentum fabricasse; unde ei «trigini» nomen. Plinius scripsit commune atramentum taedae fuligine et camini conflari cum gummea aqua commixtis; mentionem quoque facit eiusdem Indici atramenti, cuius vero compositionem sese ignorare fatetur.

Antiquae scripturae, aetate decolores, gallica nuce iamdiu reficiuntur: earum magis colores servant manuscripta arabica atque turcica; ex quo facile coniicere licet, hos populos optima atramenta sibi comparasse. Ceterum anglicus vir Baldgen, in chemicam atramentorum structuram sedulo diuque incumbens, invenit nostorum atramentorum fabricationem optimis antiquorum atramentis maxime accedere, quippe quae ferri sulphatum atque adsirgentes materias contineant.

Membrana, seu pergamina, pumice levigabantur, atque pumice quoque veteres notas oblitterabant; recentem vero scripturam spongia. Mos quoque fuit chartam citrino oleo ungendi. Antequam vero char-

tam haberent, super animalium pellibus, super foliis, axibus, telis, metallis et ipsis stannei laminibus veteres, ut notum est, scripserunt.

\*\*

Sed Bernerium nostrum, oh! quanto maiore oblectamento, resumamus. Hodie is nobis offert scenam, cui ipse, uti monuit, anno MDCXCII interfuit, et est de elephante variis ludos per Urbis plateas faciente:

Exstitit hic Romae, plures non visa per annos,  
Bellua cunctarum maxima, nempe elephas.  
Bubalo hic est duplo, spectato corpore, maior,

Implet mole locum, terret et ipsa oculos.  
Nigrescit rugosa cutis nimis aspera tactu,  
Sparsaque sunt raris terga recurva pilis.

Tota retunduntur femora, et quoque crura,  
[pedesque,  
Hosque bipartitos sectio nulla facit.

Cauda rudis membris tanti quae est corporis  
[impar,  
Cum nimis haec tenuis sit, simul atque  
[brevis.

Frons, caput, ora, oculi (maiorem concipe  
[molem)

Sunt quae silvestres scimus habere sues.  
Aures componit panni palmaris ad instar,  
Crassa cutis; medium hae grande foramen  
[habent.

Mira quidem extensi forma est vastissima nisi,  
Quo non est maior, magnificusque magis.  
Nomen habet cunctis notum proboscidis: est  
[haec

Longa, et formam imitans orbiculata tubi.  
Brachium ut humanum quacumque ex parte  
[movet;

Fit sese inflectens pluribus apta iocis.  
Extero at interea dominus sermone tonanti  
Inquit voce, elephas ludere ut incipiatur:  
- « Heus tu, heus, adstantem populum vene-

[rare! » Repente  
Iussibus hic parens, flectit utrumque genu.  
- « Flecte iterum, varioque modo! » tunc im-

[perat ille.  
Hic, quae sunt retro, crura reclinat humili.  
- « Surge, accede, mihi des oscula! » Bellua

[surgit  
Absque mora, domino fit propinquus suo.

Extensa tunc illa genas proboscide tangit:  
 Scilicet extrema in parte foramen habet.  
 Colligit hac positam a domino in tellure mo-  
 [netam,  
 Inque crumenam huius proiicit, et properat.  
 Circuit inde locum: tunc si quis poma, vel  
 [offert  
 Quid simile, ante ipsum sistit, abire nequit.  
 Producta inde cibos proboscide sumit. In  
 [arcum  
 Haec inflexa dapes illico in ora iacit.  
 Porrectum hac elephas arreptat, postea sclo-  
 [pum,  
 Expluditque, hominum ceu solet ipsa manus.  
 Belluae at elatis humeris scalam ecce pro-  
 [pinquat  
 Quidam, qui pueros scandere terga iubet.  
 Ascendunt celeres illi: sunt circiter octo,  
 Et plures etiam bellua ferre potest.  
 Hic equitant omnes; ast in proboscide sursum  
 Inversa, domino tantum equitare datur.  
 Tunc elephas circum se volvit terque qua-  
 [terque,  
 Et pueri casum motibus hisce timent.  
 In puerum puer impingit, complectitur alter  
 Alterius tendens brachia, utrumque latus.  
 Sic se posse putant a lapsu reddere tutos;  
 At frustra: hac a spe decipiuntur adhuc.  
 Nam domini ad nutum, qui de proboscide  
 [cautus  
 Descendit, quoque fit callidus ipse elephas.  
 In tellurem, humeros inclinans, proiicit omnes:  
 Est gravis hisce timor, quando ruina levis.  
 Mox alter super aurem extensam equitare  
 [Minister  
 Cernitur, et pondus firmiter illa regit.  
 Descendens inquit: - « Victum tibi quaerere  
 [debes;  
 Circum ergo properes, subsidiumque petas ».  
 Pileus a domino inversus traditur illi,  
 Exigat ut nummos. Arripit hunc elephas.  
 Arripit, in longum ductae proboscidis usu  
 Circumdansque locum, hoc ille libenter agit.  
 Ac si esset mentis compos spectare videtur  
 Pro mercede, licet sit ratione carens.  
 Lucrari facit haec plures industria numinos;  
 Adstantes aliquid tradere non renuunt.  
 - « Tunc - inquit dominus - quas debes, red-  
 [dito grates  
 His, qui tam grati dona dedere tibi ».

Inde latus baculo, cui ferrum format acumen  
 Pungit, et ecce elephas obstrepit ore fre-  
 [mens.  
 Sic populo reddit brutali murmure grates;  
 Sic, plaudente illo, terminat iste iocus.  
 Quisquis in ingressu Iulium persolverat ante:  
 Scilicet exegit Ianitor hoc pretium.  
 Qui ostendunt oculis elephantem, et motibus  
 [hisce  
 Exercent, merito lucra laboris habent.  
 Qui auribus ostendit, dum carmine cuncta  
 [figurat,  
 Dicito, quid credas hunc meruisse? Nihil!

\* \*

**locosa**

In via.  
 — Trapezitam illum dicunt satis divi-  
 tem esse.  
 — Itane?  
 — Ita sane: aiunt satis multa iam re-  
 posuisse.  
 — Scrupula, certe.

In via pariter.

— Novi patrum tuum gravi morbo  
 laborare. Quomodo nunc sese habet?  
 — Quaeso, in magno animi angore  
 vesor...  
 — Ergo nulla iam spes?...  
 — Nulla prorsus ... Convaluit!

\* \*

**Aenigmata**

## I.

Sum verbum? Veto te discedere, Lector amice.  
 Sum nomen? Rutila vestio luce pulum.

## II.

A servatque paratque cibos; confortat edenda.  
 O fugat in terra noctem luce atque calore.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
 posita his respondent: 1) *Suber, Rebus,*  
*Uber*; 2) *I-lex.*

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.